

Antiqu. Rom.

~~Antiqu. Rom. 209~~

~~Ant. Rom. 206~~

ANTIQUITATVM
ROMANARVM

BREVIS
DESCRIPTIO
IN VSVM LECTIONVM.

EDIDIT
GOTTLOB BENEDICTVS SCHIRACH.

EDITIO ALTERA,
LONGE AVCTIOR ET EMENDATIOR.



ALTENBURGI

EX OFFICINA RICHTERIA
MDCCLXXI.

ANTHONY
R O M A N A R V M

DE
IN 18 M E C C I

PROFESSOR

LIBRARY

OF

THE

UNIVERSITY

OF

V I R O

SVMME VENERABILI

IOHANNI BENEDICTO
CARPZOVIO

SACR. THEOLOG. DOCTORI,

MONASTERII IMPERIAL. AC LIB. REGIOLVTEREN-
SIS PRAESVLI ET ABBATI,

PROFESSORI PVBL. ORDIN. LITERARVM SACRARVM,

ET GRAECAE LINGVAE, IN ACADEMIA
IVLIA CAROLINA.

THEOLOGORVM ORDINIS H. T. DECANO.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be a title or heading.

Vir summe venerabilis,

Nullum mihi argumentum, siue, ut elegantius lo-
quar, thema succurrit, quo exornare dedica-
tionem possim meam. In angustiis itaque doctis ver-
satus, diu, quid potissimum scriberem, mecum re-
putavi. Quodsi, more maiorum, de laudibus TVIS
differere vellem, moles illarum libello paruulo non
satis accommodata videretur; deinde vero etiam
TV me praecone non indiges. Nominasse Te, Vir
eruditissime, sufficit. Forent sino dubio, qui me,
de TVIS meritis verba facientem, irriderent le-
pide: neque, puto, temere. - Lucerna, dicerent, prae-
it ille nos, claro die. Praeterea solitum dedican-
tium instrumentum est tympanum laudatorium,
interdum adeo raucum, ut aures teretes laedat.
Colit TE vero reuerentia mea, praeter solitum
magna, amor candidior communi, obseruantia iu-
dicio certo nata. Horum itaque sensuum testem,
et documentum epistolam meam velim exstare. Ad-
do, non quia mos, sed quia fas est, preces, TVA
charissima beniuolentia et amore me ut in posterum
complecti, et nihil unquam de TVA amicitia remit-
tere velis. Liceat mihi, quod TIBI saepius signi-
ficavi,

ficavi, hoc loco palam profiteri, me in TVIS doctissimis colloquiis et consuetudine magnam partem molestiae, ex plurimis occupationum oneribus collectae, deponere, solatiumque illud vitae meae non leue existimare. Largiare et in posterum suauissimam illam mihi voluptatem, quam, ut loco bono collocatam intelligas, omni studio et cura contendam. Solent alii in sine dedicationum vota quam amplissima vouere, sed vereor, ne lassus se impediat verbis talis elegantia. Ego vero non adeo sum elegans; et nisi fallor longiores dedicationes TIBI nunquam placuerunt. Opto vero maxime, ut omnia mea TIBI placeant, ego ipse usque placeam

Nominis Tui

OBSERVANTISSIMVS

GOTTLOB BENEDICTVS SCHIRACH.

PRAE-

PRAEFATIO

NOVAE HVIVS EDITIONIS.

Quam, ante sex annos et quod excurrit, operam impendi Antiquitatum Romanarum descriptioni edendae, illam adeo bene acceptam a viris doctis, ut plurimis in *Academiis* et *Scholis* magistri huius disciplinae ea vterentur, non laeto modo, verum etiam gratisimo animo intellexi. Prodit itaque, necessitate postulante, altera Editio. Plagulae illae *duae* Burmanni quae primam huius libelli componendi occasionem dederunt, iam plane evanuerunt, ut iure quodam meo hanc mihi operam tribuere tuto possim. In *altera* hac, quam viris doctis trado, Editione curae posteriores sic occupatae fuerunt, ut nulla fere pagina, sine linea abiret. Praesertim capita de iure publico et civili Romanorum refinxi; novum praeterea caput *de re literaria Romanorum*, addere ad calcem libelli, visum fuit. Facili pacto ampliorem libellum conficere potuissem; sed tum certare cum aliis Antiquitatis doctoribus voluisse ego viderer; quod quidem plane nolui. Dicata opella mea est inprimis eorum studiis, quorum res et conditio exigit, ut brevissimo compendiolo vtantur. Quare quam maxime potui, curavi, ut brevissime omnia

VIII

modo indicarem, et nutu significarem. Abs-
tinui ab omni illa vbertate, qua me dudum
superatum a viris doctissimis animaduvertebam.
Quoad vero licuit, verba accuratissime delegi,
talia, quae, vt decebat compendiolum, expli-
canda essent, et copiam doctori facerent mul-
ta dicendi. Qui plura volent, in exponendo
hoc Compendiolo, optime vocabunt in subsi-
dium tum alias Institutiones Antiquitatum Ro-
manarum, tum Antiquitates Cellarii editas ab
cel. *Walchio*, V. Cl. quem honoris causa no-
mino, colo, et amo. Iis vero viris doctissimis,
qui compendio meo haecenus vsi sunt, in pri-
mis cel. *Clotzio*, *Bodenio*, *Frickio* et aliis denuo
me, hac repetita editione, quam commenda-
tissimum esse cupio. Spes est fore, vt peri-
tis etiam Scholarum magistris haec opella no-
stra probata sit, atque accepta. Scr. *Helm-
stadii*, in Academia *Iulia Carolina*. Pridie Fest.
Paschat. MDCCLXXI.

PRAE-

PRAEFATIO

PRIMAE EDITIONIS.

Quamquam praeuidebam fore sine dubio, qui curam nostram in *Burmanni* Antiquitatibus denuo edendis iudicarent aut inutilem, aut certe alio quo crimine vituperandam, denique qui nostrae huic opellae inuidiam facerent; tamen multis de causis iisdemque idoneis perficere, quod constitueram, curavi. Nam prius coeli ruinam, quam id opinanti, mihi cura est imposita, ut hoc *Burmanni Antiquitatum Compendiolum*, quia magnopere desideratum apud librarios non inueniretur, in publicum redire iuberem, quibus nec ipsis precibus morem gessissem, nisi, re diligentius considerata, apparuisset quaedam utilitas, quae inde in adolescentulos Antiquitatum Romanarum studiosos redundare posset. Non vero id nos egisse putes, ut aut Antiquitates ipsi

eo libello traderemus, aut castigaremus Burmannum; illud enim in tanta Antiquitatum libellorum copia fuisset temerarium, nec nostrae aetati vlllo modo condonandum, hoc vero si spectassem, mihi Burmannus ipse, Vir in hoc litterarum genere longe doctissimus, sane respondisset, quod Terentius calumniatoribus: facit nae intelligendo, vt nihil intelligat. Verum vt accipias paucis, quae huius libelli nostraeque in eo collocatae operae sit ratio; primum Compendiolum Burmannianum tantum recudendum curare constitueramus, ne verbo quidem mutato, postea vero, vbi ad eam rem accessimus, passim, quin plerisque locis quaedam necessario addenda esse, si vsui deberet esse lectionum accommodatum, intelleximus, quae omittere religioni habentes, paucissimis, verbo saepe addere, operam nauauimus. Sed, quia hac ratione, si nulla esset distinctio, capita nimis ionga crescere videbantur, vt magis accommodaretur lectionibus, distinximus in paragraphos, et, vbi erat necesse,

necesse,

neceſſe, in Sectiones, quantum vere fieri potuit, omnem retinere auctoris ordinem, officium duximus noſtrum, nec niſi vrgente neceſſitate, mutauimus. Praeter ea tria a nobis reperia adiecta auctori, ſuo quaeque loco, capita, verum aliter hac in re verſari non permittebat omnis conſilii ratio. Primum nos nouum adiunximus caput *de aedificiis Urbis Romanae*, quod in tali compendio, ad intelligendas ceteras Antiquitatum partes neceſſario requiri videbatur; nec eadem de cauſa non ſingulari capite egimus *de Iure Romanorum publico*, quatenus pertinebat ad noſtrum conſilium, et tandem *de nauali militia Romanorum*, ad calcem libelli pauca adiungenda duximus. Quae vno quoque loco praeter ea ſunt aucta, facile reperia, et quo modo opella ſucceſſerit, ipſe iudicabis; vbi ſi quae alia tibi viſa fuerint, aut minus recta, condones, magno opere cupimus, errorem aetati, et quaecumque ſita in noſtra poteſtate eſſent, ea ut nos praestaremus, curaffe, tibi perſuadeas. Prae primis id

nos

XII

nos omnino spectasse cogites, velimus, vt non exponeremus res, sed indicaremus paucissimis verbis ei, qui Antiquitates docere vellet. Cum praeter ea huic libello apud eos, qui exponunt Antiquitates Romanas, fatis sit commendationis, vt ea et ipsa inde nobis accedat apud Viros huius litterarum generis peritos, vehementer optamus. Scr. Lipsiae Calendis Septembribus A. R. S. MDCCLXIII.

BRE-



BREVIS ANTIQVITATVM ROMANARVM DESCRIPTIO.

CAPVT I.

DE ORIGINE GENTIS ET VRBIS ROMANAE.

§. I.

Roma Urbium princeps condita fuisse dicitur a Romulo et Remo Olympiadis VII. anno primo, et a paruis initiis progressu temporis ad summum potentiae fastigium adscendit, quod praecipue debet sapienti rei publicae administrationi, bene constituto ordini, legibus, et institutis egregiis, quibus super omnes vrbes caput suum extulit.

§. II.

Quae de prima eius origine narrantur, ita sunt inuoluta fabulis, vt certe definiri nihil fere possit, nisi verum videtur, reges Albanos, Coloniam in
eum


eum locum ducentes, urbem exstruxisse Romam. Nec annum, quo sit condita, satis accurate et certo definire possumus.

§. III.

Romana ciuitas ab initio sic fuit instituta, vt reges ipsi summam quidem exercent potestatem, sed tamen adhibitis viris ciuitatis primariis, quos *Patres* appellare solebant. Regibus exactis summa rerum venit ad *Consules*, et *Senatum*, qui variis artibus plebi persuadebat, vt crederet, et se ipsam participem esse rei publicae gerendae, quamuis non esset. Multae inde natae dissensiones et turbae, donec Patrum ipsorum discordia bella ciuilia nata, et ad vnum deferretur imperium, simulacro veteris rei publicae retento.

§. IIII.

Tribus autem praecipue vnus cuiusque ciuitatis salus fundamentis innititur, quibus recte iactis, nullam, vel feram certe, ruinam metuet. Nimirum, vt religio caste et sancte ab omnibus colatur; vt ius ciuile aequaliter inter omnes administratur, et denique vt disciplina militaris recte instituat. Quid in singulis praestiterint Romani, ordine videbimus, si pauca de vrbe ipsa Romana praeposuerimus.



CAPVT

CAPVT II.

DE LOCIS ET AEDIFICIIS IN VRBE
MEMORABILIBVS.

§. I.

Capitolium arx Romae et templum fuit in monte Tarpeio. Sedes Romani imperii habebatur. Pompa triumphalis in illum locum ducebatur.

§. II.

Luci loca erant arboribus densa, vni vel pluribus etiam diis consecrata, vbi sacra faciebant veteres. Erant Romae luci XXXII.

§. III.

Curiae erant duplicis generis, aliae, vbi populus curiatim congregabatur; aliae, in quibus senatus conueniebat. Insigniores erant *Hostilia*, *Iulia* et *Pompeia*.

§. IIII.

Templa aedes erant Deo cuidam aut pluribus diis sacrae; *definitae* primum, vel *effatae*, tum *consecratae* et *dedicatae*. *Templa* in Vrbe fuerunt CCCCXXIII. sed longe minora, ac nostra.

§. V.

Basilicae aedificia erant Romae magnifica, figurae oblongae, columnis et simulacris ornata, ambulationibus, et argentariis, postea etiam iudiciis

diciis exercendis destinata. Genus basilicae est porticus et minor Basilica, eius genus quoddam erat *cryptoporticus*.

§. VI.

Circi loci Romi erant septi, figurae oblongae, ab altera parte rotundae, ab altera rectae. Memorari debet *circus maximus*, ubi erat *spina*, *metae*, siue columellae ex lata basi assurgentes in acutum fastigium, utroque *spinac* fine positae, *carceres*, siue *ostia XII. creta*, *sedilia*. *Circos* ambiabant *tabernae* et *porticus*. In nonnullis *circis*, ut *Maximo*, fuerunt *Euripi*.

§. VII.

Amphitheatra in oui figuram erant exstructa, quibus ludi gladiatorii habebantur et ferarum venationes.

§. VIII.

Theatra ludis scenicis destinata constabant *scena*, *proscenio*, *postscenio*, *pulpito*, et *sedibus*, quae erant *orchestra*, *quatuordecim gradus* et *cauea*. Primum perpetuum theatrum exstructum est A. V. C. 599. Erant illa forma fere semicirculari exstructa, et gradibus circum undique, et *cureis* distinguebantur, etiam praeuinctionibus.

§. VIII.

Aquaeductus opera erant stupendae magnitudinis, quibus aquas in urbem ex remotissimis locis deriuabant Romani. Duplicis generis fuerunt, vel enim constabant *sistulis*, vel *fornicibus*; hi maiores, minores illi. *Castella* erant receptacula

cula

cula laxiora aquae ex ductus lacu profluentis. Capacitas fistularum *lumen* dicebatur; castellorum *custos castellarius*.

§. X.

Iani erant loca peruia quadriformia. Adornabantur variis signis. In Foro ad Basilicam Aemiliam tres Iani constituti, *summus*, *medius*, *imus*.

§. XI

Fora erant vel ciuilia vel rerum promeritorium. Foro *ciuili* habebantur conuentus publici, conciones, comitia, exercebatur iurisdictio, habebantur iudicia, negotia ciuilia, siue pecuniaria.

§. XII.

Campi erant loca ab aedificiis vacua, in quibus populi conuentus, aliaque negotia publica fiebant. Praecipuus erat *Campus Martius* post reges exactos consecratus Diis: ibi deinde *equivia* celebrabantur, delectus militum fiebat, habebantur comitia, quibus noui magistratus creari solebant, virorum illustrium statuae ponebantur.

§. XIII.

Comitium locus erat in foro, vbi causae agebantur, et comitia primum *curiata*, post *centuriata* habebantur. Ibi erant *rostra*, sic dicta a rostris nauium Antiatinarum. *Rostra noua* fuere in foro *Iulio*.

B

§. XIII.

§. XIII.

Commemorari etiam merentur *thermae*, et *columnae* variae, quarum praecipuae columna *Mae-
nii*, *Traiani*, et *Antonii Pii*.

CAPVT III.

DE ROMANORVM RELIGIONE.

§. I.

Romani non omnes sine discrimine deos colue-
runt. Romulus ab initio paucos induxerat
deos, religionemque graeca et aliarum gentium
religione longe puriorem. Cautum etiam erat,
ne peregrina sacra adsciscerentur, sed ceremoniae
nonnullae iussu populi communis susceptae post
ea sunt, quamquam non omnes dii, qui Romae
erant, Romani sunt habendi, neque ciues Roma-
ni eos omnes coluerunt.

§. II.

Sapientissimo consilio religio coniuncta apud
Romanos fuit cum administratione rei publicae.
Principes viri magistratu fungentes simul obibant
munera summa sacra. Maxima potestas in rebus
agendis data fuerat *auspiciis*. Haec autem auspi-
cia distinguebantur in *maiora*, et *minora*. Magi-
stratus summi habebant auspicia maiora; hinc,
quoniam nihil nisi *auspicato*, gerebatur, plebs
terreri facile poterat. Hoc fundamentum pu-
tandum est Romanae prudentiae in re publica
geren-

gerenda. *Cultus deorum* praecipue constabat *excitatione* aedium sacrarum, quae dicebantur, *templa, fana, delubra*, vel *sacella*: in his Deorum imagines adorabantur, *supplicationes instituebantur* ad *puluinaria*, quae sternebantur; denique, quae maxima religionis pars, sacrificia varia fiebant. Qui Deos *adorabant*, eos *salutare* dicebantur. Faciebant hoc vel stantes, capite operto, corpus dextraversum in orbem circumagentes; vel procumbentes Deorum genua amplectebantur: dextramque ori admoventes osculum labiis premebant. In *delubris* statucae vel unius, vel plurium Deorum ponebantur. Si plures Dii in eodem delubro coluntur, dicuntur *dii assessores*. Fiebant in templis praeter *supplicationes* etiam *precationes solemnes, consecrationes, execrationes, deierationes, expiationes, procurationes*, ubi mala omnia siue prodigia etc.

§. III.

Dii Romanorum erant vel *consentes*, siue *selecti*, qui *maiorum gentium*; vel *indigetes*, siue *heroes*, aut *semones*, qui *minorum gentium* dii vocabantur; quanquam haec posterior appellatio non distinctio propria erat, verum ad similitudinem Patrum maiorum et minorum gentium, usurpata non nullis fuit.

§. III.

Penates sunt dii *aut* gentis alicuius et familiae, et tum dicuntur *dii priuati* siue familiares; *aut* totius populi, tum dicti sunt *dii publici*, aut *tutelares*, aut dii *patrii*. Colebantur in *Com-*

pluuio. *Lares* sunt dii tutelares locorum vel Vr-
bis, et *publici* dicti, vel *priuati* i. e. domus, qua
colebantur.

§. V.

Sacris qui praeerant, varii, sed non diuersi
ordinis a reliquis ciuibus et magistratibus erant.
Praecipui sacerdotes ex patriciis et, qui summos
simul in ciuitate honores gerebant, capiebantur.
Sacerdotes vero erant vel in collegia descripti,
vel singulares, et vni Deo operantes.

§. VI.

Collegia erant eorum sacerdotum, qui nulli
Deo certo sacra faciebant, illique sacerdotes in-
signiores erant; vt

- I. *Pontificum*, quorum princeps *Pontifex Maxi-
mus*. Huic collegio summa sacrorum et
cultus religionis tradita fuerat. Multae illis
ceremoniae obseruandae erant, partim ad
augendas populi opiniones, partim ad cohi-
bendam ipsius potestatem.
- II. *Augurum*, quibus *Augur Maximus* praeerat.
Hi per *signa* et *auspicia* rei publicae gerendae
confulebant. Erat illorum: *obnuntiare: de
coelo seruare*. Vtebantur toga praetexta, et
loco insigniori in ludis.
- III. *Duumuirum, decemuirum*, et tandem *quin-
decimuirum sacris faciundis*, qui quasi Apolli-
nis sacerdotes libros Sibyllinos interpreta-
bantur. Praeses illorum *Magister collegii* vo-
cabatur.

III.

- III. *Fratrum arualium vel ambarualium.*
 V. *Curionum.* Collegii praefes *Curio maximus*; reliqui *curiones* minores dicebantur.
 VI. *Fetialium*, foederum, pacis bellique iudicium, quorum primus *Pater patratus*.
 VII. *Epulorum septemvirosum.* Creati tales ab initio tres: temporibus Sullae quatuor additi. Caesar decem fecisse dicitur.
 VIII. *Sodalium Tatorum vel Tatiensium*, quibus addendus
 VIII. *Rex Sacrorum*, iis sacris operans, quae Regibus olim peragenda fuerant; cuius vxor regina vocabatur, et
 X. *Haruspices*, qui proprie ministri tantum sacrorum, gentis Hetruscae erant.

§. VII.

Qui Deo cuidam soli dicati erant, fuerunt:

- I. *Flamines*, qui olim tres, *Dialis, Martialis, Quirinalis*, post ea ad plures excreuerunt. *Flamines* vel *prodebantur* v. c. a Consule, vel *creabantur* a populo.
 II. *Virgines Vestales*, quae Vestae cultui consecratae erant, *capiabantur*, vel oblatione libera vel forte, et custodes erant pignorum imperii. Praeerat eis *Virgo maxima*.
 III. *Salii*, qui Martis sacra curabant, eaque *movebant et condebant*. Eorum primus *Praeful*, vel *Magister Saliorum*. *Salii palatini* quatuor primi ab Numa constituti: *collini* ab Tullo Hostilio additi.

III. *Luperci*, qui Pani faciebant

V. *Potitii et Pinarii*, qui Herculi sacrificabant.

VI. *Galli*, qui tamen nulli Romani, sed omnes Phryges, matris deum ceremoniis praefecti erant, primus eorum erat *Archigallus*.

VII. *Bonae deae* sacerdotes, feminae.

Ab initio singuli sacerdotes sunt creati a populo scil. flamines, curiones etc. Collegia vero Sacerdotum collegas sibi solebant *cooptare*. A. V. C. 640. lex perlata fuit, ut sacerdotes omnes ab XVII. tribubus crearentur. Quam tamen legem Sulla abrogavit.

§. VIII.

His sacerdotibus aderant varii ministri:

I. *Aeditui*.

II. *Camilli et Camillae, Flaminii*.

III. *Tibicines*, qui et *ludii* dicti.

IIII. *Popae et victimarii*, et *factores*.

V. *Praeficae*.

VI. *Designatores*.

VII. *Pontificum scribes, lictores et kalatores*.

§. VIII.

Ad ipsa sacra erat destinata suppellex sacra, et vasa quaedam, quae pro variis sacris varia appellatione insigniebantur. Praecipua erant *Acerua*, *Thuribulum*, *Discus*, *Praefericulum*, *Sympulum*, vel *Sympuuium*, *Patera*, *Secespita*, *Aspergillum*, *Ligula* etc.

CAPVT

CAPUT IIII.
DE RITIBVS SACRIFICIORVM.

§. I.

Sacrificiorum ritus, varios et multiplices, omnes recensere nimium esset, praecipuos tantum congeremus. Ac primo eos, qui omnibus sacrificiis communes, deinde quosdam, qui non omnibus sacris erant vsitati, enumerabimus.

§. II.

Communes ritus ante sacrificium, vel eos, qui sacrificabant, vel *hostias*, quae maectarentur, vel *sacerdotes* spectabant, qui erant

I. Vt sacrificaturi *caste Deos adirent*, et a Venerare abstinerent.

II. Vt ante se *lauarent* aqua viua vel profluente, et puris manibus, et pura veste accederent.

III. Vt essent *caronati*, vbi sacrificia laeta erant; at in re tristi, in obsecrationibus, aut ad auertanda mala, *passo capillo, solutis vestibus et pede nudo*, vnde haec sacra *nudipedalia* dicta.

IIII. Vt *preces* et vota fierent ante sacrificium.

Hostiae, quae adducebantur,

I. Debebant esse *integrae, electae et probatae*.

II. *Gregales, opimae, et egregiae*, et

III. *Ornatae et coronatae.* Interdum etiam cornua illarum deaurari solebant.

§. III.

In ipso sacrificio obseruabantur

- I. *Indictio silentii*, et profanorum ablegatio solemni verbo: *fauete linguis*, aut: *pascite linguas.*
- II. *Inpersio molae salsae*, quae *immolatio prima* erat vel *maetatio.*
- III. *Libatio prima*, quae erat vel vini, mulsi, mellis, lactis vel similium.
- III. *Ignis* in altari vel thuribulo *accensio.*
- V. *Adductio hostiae* ad aras laxo fune.
- VI. *Percussio victimae*, quae certis ceremoniis peragebatur.
- VII. *Sanguinis exceptio.*
- VIII. *Excoriatio* et
- VIII. *Dissectio* occisi animalis.
- X. *Extorum inspectio* ab haruspice; felici hostia *litabatur.*
- XI. *Immolatio secunda*, qua exta rursus mola falsa aspergebantur.
- XII. *Porrectio.*
- XIII. *Altera libatio.*
- XIII. *Dimissio populi* a Sacris verbo solemni: *Ilicet.*

XV.

XV. *Epulorum sacrificialium celebratio.* Omnibus sacrificiis adessent *tibicines*, necesse erat.

§. III.

Maxima autem differentia sacrificiorum erat inter ea, quae vel *diis superis* vel *inferis* fiebant.

I. In *ara* vel *altari* diis superis; in foco inferis fiebat sacrificium.

II. Superis *albae hostiae*, inferis *nigrae* mactabantur. Praeter ea, quae unicuique Deo *grata* victima credebatur prouideri solebat.

III. Hostiarum superis offerendarum *cervices retro stectebantur*, inferis *percutiebantur pronae*; his ideo *imponebatur ferrum*, illis *supponebatur*.

IIII. Superis sacrificantes *abluebantur*, inferis tantum *adspergebantur*.

V. *Libatio* superis fiebat *fundendo* vel *inuergendo*, inferis *vergendo*.

VI. *Preces* ad superos fiebant *manibus ad coelum sublatis*, ad inferos, *terram pede percutiendo*.

§. V.

Diuerfus quoque a reliquis sacris erat ritus *lustrationum*, quae instituebantur vel *urbis* vel *agri*, vel *hominum* purgandorum, vel a scelere vel a calamitate, *causa*.

Urbis lustratio fiebat si vel pestilentia vel aliqua insignis calamitas eam incestasset, vel grande scelus accidisset. Haec quoque *procuratio* appellatur.

Agrorum fiebat *circuitione* agri pro frugibus, quae lustratio fiebat *ambaruali* sacrificio.

Hominis, si vel caedem fecisset, vel aliquo scelere contaminasset, fiebat *expiatione*.

Inferiae in funere diis manibus offerebantur; vel annua memoria a cognatis repeti solebant.

CAPVT V.

DE TEMPORE.

§. I.

Curae sacrorum pars quoque erat recta ordinatio temporis, quod a *Pontificibus* in varias partes dividebatur.

§. II.

Romulus annum decem mensium, ita vt *Martius* esset primus, dierum CCCIII. constituerat; Numa duobus adiectis mensibus, Ianuario et Februario, ad dies CCCLV. produxit *intercalationes* instituens. Et Caesar demum fecit dierum CCCLXV. Denique iterum turbatum denuo Augustus correxit. Menses duodecim, a Ianuario incipientes diuidebantur in *Kalendas*, *Nonas*, et *Idus*. *Nonae* habebantur infelices.

§. III.

§. III.

Dies erat vel *naturalis* vel *ciuilis*. *Naturalis* ab ortu solis ad occasum, aestate longior, hieme contractior, XII. semper horis finiebatur, quae itaque modo breuiores, modo longiores erant, vnde horae *aequinoctiales* solae sibi aequales.

Ciuilis erat XXIII. horarum, initium capiens a media nocte, et in mediam alteram desinens; cuius pars nox erat. Partes diei erant, *mane*, h. e. hora fere *nona* ex nostra ratione, *ad meridiem*, siue *plenum forum*, *de meridie*, siue *de die*, *meridies*, *tempus occiduum*, *occasus solis*, vel *suprema tempestas*, *vesper*, *tempus aridum*, h. e. hora octava nostra *promeridiana*; quo tempore nihil in curia et foro agere licebat, *prima fax*, *concupium*, *nox intempesta*, *ad mediam noctem*, *de media nocte*, *nox media*, *gallicinium*, et *conticinium*.

§. IIII.

Dies erat porro vel *festus*, vel *profestus*. *Festi* deorum cultui dicati erant, *profesti* vocabant a diuinis ceremoniis. Hi autem erant vel *fasti*, quibus ius dicebatur, vel *nefasti*, quibus iuris dictio cessabat, vel denique *intercisi*, qui parte erant vel *festi*, vel *profesti*, vel *fasti*, vel *nefasti*.

§. V.

Praeterea *comitiales* dies erant, quibus licebat *comitia* habere, *proeliares*, quibus fas erat
cum

cum hoste conflagere, *nundinales*, quibus nundinae celebrabantur, *atri et allienses*, quibus ob calamitatem aliquam publice acceptam nihil agere licebat.

C A P V T VI.

DE FERIIS ET LVDIS.

§. I.

Praeter sacrificia et tempus, ad sacra etiam pertinebat cura ludorum publicorum, qui in honorem Deorum edebantur et quorum studio maxime Romani ducebantur, tantoque ardore, ut Plinius dicat, *pacem et ludos* omnes Romanos clamitare.

§. II.

Ludi erant, *Circenses*, *Scenici*, *Munera*, et alii praeterea.

Circenses a circo, in quo editi, dicti, fiebant agitatione equorum, et curruum per *aurigas*, qui in quatuor *factiones* diuidebantur. Factiones a coloribus *panni*, siue tunicae dictae: *veneta*, *prasina*, *alba*, *ruffata*, et secundum has etiam studia populi diuidebantur, et saepe mordicus inter se de fauore factionum decertabant.

Scenici, etiam *Theatrales* a *Theatro*, quo exhibebantur, ab histrionibus agebantur, erant
Tragoedia.

Comoe-

Comoedia distincta in antiquam, mediam et novam.

Mimus,

Atellana.

Munera vel ludi *Amphitheatrales*, qui in Amphitheatro conspiciebantur, erant

Gladiatorii ludi vel *Venationes* quae quidem et in circo, et in aliis Urbis regionibus datae sunt. Interdum in venationibus etiam damnati cogebantur cum belluis certare.

Alii deinde fuere ludi, qui ad haec tria genera referri non possunt, ut *Pyrricha*, *Troia*, *pugna equestris* et *pedestris*, *Naumachia* in effosso campo, vel lacu, et Euripis circi agitatae. Gladiatorum paria inter se comparabantur, *rudibus* praeludebant, tum signo tuba dato armis decretoriis pugnabant. *Missio* victo concedi solebat; *rudis* victori dabatur. Graeci quoque ludi, temporibus Caesarum, et paullo ante, Romam delati sunt, ut *gymnicus ludus*, *pugillatus*, *lucta*, *saltus*, *discus*, etc.

§. III.

Feriae, quibus ludi inprimis habebantur, erant vel *statae*, seu *statiuae*, vel *votivae*, seu *conceptivae*, vel *extraordinariae*, seu *imperativae*.

§. IIII.

Statae certo tempore cuidam deo sacrae erant, quibus praecipui ludi agebantur: ut

I. *Megalenses* in honorem deae Matris magnae, pridie Nonas Apriles.

II.

- II. *Cereales* a pridie Idus Apriles per octo dies.
 III. *Florales* IIII. Idus Maias.
 IIII. *Apollinares*, olim incerti, post ea statim pridie Nonas Quinctiles per decem dies.
 V. *Capitolini*.
 VI. *Romani* vel magni a pridie Nonas Septembres ad pridie Idus.
 VII. *Plebei* in Circo a. d. XVII. Kal. Dec. per triduum.
 VIII. *Consuales*, Conso vel Neptuno sacri a. d. XII. Kal. Septemb.
 VIII. *Compitalitii* VI. Nonas Maias.
 X. *Piscatorii* VII. Id. Iunii trans Tiberim pro piscatoribus tiberinis.
 XI. *Seculares*, qui post centum annum fiebant.
 XII. *Saturnales* quot annis mense Decembri instituti.
 XIII. *Liberales*, etc.
 XIII. *Quinquatrus*, duplices; Maiores XIII. Calend. April. et minores Idibus Iunii.

§. V.

Votivae Feriae seu *conceptivae* fuerunt *quinquennales*, *decennales*, *vicennales*, ab Imperatoribus instituti. His accensendae *Supplicationes* et *Feriae Latinae* quot annis quidem in monte Albano celebratae, sed edicto Praetoris imperatae.

§. VI.

§. VI.

Feriae imperatiuae vel *extraordinariae* a magistratibus indicebantur, si dii placandi aut gratiae iis agendaerant. Huc referenda *nouemdialia sacra*, cum lapidibus pluisse nunciatum esset etc. Ludi his diebus extraordinarii quoque edebantur, vel publici vel priuati, cuius generis erant *Funebres* et *Iuuenales*, qui vero et aliis diebus profestis editi sunt.

PARS II.

DE CIVILIBVS REBVS.

CAPVT I.

DE CIVIBVS ROMANIS.

§. I.

C*iuēs* vocati sunt, qui Romae habuerunt tribum, et ius petendi honores. *Tribus* vero primum tres fuerunt, postea numerus earum ad XXXV. adauctus est. Vnaquaeque tribus in decem *curias* diuidebatur, cum essent tres tribus. Crescente postea tribuum numero, curiarum tamen eadem ratio manebat, dum stetit res publica. Ipsae tribus vel *urbanæ* erant, vel *rusticae*.

§. II.

Distinguebantur inter se ciues ratione *ordinis*, vel *dignitatis*, vel *natalium*, vel *patrimonii*.

SE-

SECTIO I.

DE ORDINIBVS.

§. I.

Ordinis discrimen erat triplex, *patricii, eque-
stris, plebei.*

Patricius ordo, vnde senatus legebatur primis temporibus, dum aucta plebis potestate etiam ex equitibus et plebeis, et mere ingenuis, senatores legebantur, a Romulo centum virorum est constitutus, post ea auctus, vnde *patres conscripti* i. e. Patres et conscripti vocati senatores, neque eodem semper numero fuit.

§. II.

In senatore legendo spectabatur, libera re publica, *genus, aetas, vita et census.* De genere praec. §. dictum. Quoad aetatem annus trigessimus erat legitimus senatoris. Vita requirebatur honesta. Census erat DCCC. H. S. Octingentes fectertii.

§. III.

Senatus cogebatur a Consulibus et, qui his absentibus maximam habebat dignitatem, vt *Praetor* etc. Ad rem decernendam *Senatus frequens* requirebatur. Tum erat *Senatus decretum*, si de iusto numero sententiarum constabat; si communicatum cum tribunis plebis, et hi intercederent, vocabatur *Senatus autoritas*; si nihil fiebat intercessionis, tum *Senatus consultum* appellatum est.

§. III.

§. III.

Senatoris insignia erant *tunica laticlavata*, *calcei nigri*, locus proprius in ludis, quae dicitur *orchestra*.

§. V.

In potestate senatus erat aerarium, nam et reddituum omnium, et etiam eorum, quae expendebantur, penes hunc arbitrium erat. Grauiissima vero quaeque iudicia et maxima peragere nequebat, neque publica delicta, quae capite luebantur, punire, nisi ipsius *auctoritatem* populus comprobasset. *Maiestas* erat totius populi. Ille quoque *Honores* largiebatur; *legum* etiam fanciendarum abdicandarumue potestatem habebat. Is, quem censor in Catalogo Senatorum primum scripserat, appellabatur *Princeps Senatus*.

§. VI.

Definitum habendi senatus tempus *Kalendae* erant, *Nonae*, et *Idus* cuiusque mensis. Sed urgente re quadam, quoque die senatum habere licebat, exceptis diebus *comitialibus*, et mense toto Februario, nisi perfectis, aut reiectis legationibus, quibus mensis ille dicatus.

§. VII.

In fenatu habendo solebat *referri*, tum *rogari*, post *censeri*; interdum sententiae *diuidebantur*; aut fiebat *discessio*: vel *intercessio*.

C

§. VIII.

§. VIII.

Ordo equester a Gracchi demum temporibus singularis rei publicae ordo esse coepit, cuius lege perlata iudices ex hoc ordine legebantur. Insignia inde equitum fuerunt *annulus aureus*, *tunica angusticlauia*, et in spectaculis *quatuordecim ordines* ex lege Roscii Othonis. Census equester erat CCCC H. S. quadringenties fectertii.

§. VIII.

Diuidebantur equites in *Rhamnenses*, *Titienses*, et *Luceres*. Sub Caesaribus orti sunt equites *illustres* vel *laticlauii*, qui habebant spem in senatu locum adipiscendi.

§. X.

Equites magnas sibi parabant diuitias *negotiationibus* et *conducendis vectigalibus*. Habebant suos ministros in prouinciis, homines libertinos plerumque, qui dicebantur *portitores* ab exigendo *portorio*: equites ipsi *publicani* erant.

§. XI.

Quinto quoque anno sollemnis fuit eorum *recensio*, lustrumque *condebatur*, ab censore. Haec recensio cum *transuectione*, quae tantum est pompa sollemnis, non est confundenda.

§. XII.

Ordo plebeius fuit plebis vel *rusticae* vel *urbanae*. Illa honestior habebatur.

SE.

SECTIO SECVNDA.

DE DIGNITATIBVS VEL POTIVS HONORIBVS.

§. I.

Dignitatis respectu distinguebantur ciues in *magistratus* et *priuatos*.

§. II.

Magistratus erant vel *ordinarii* vel *extraordinarii*, *urbani* vel *prouinciales*, *ordinarii* vel *maiores* et *curules*, vel *minores* et *non curules*.

§. III.

Maiores dicebantur, qui creati auspiciis maioribus, centuriatis comitiis, habebant *sellam curulem*, *togam praetextam*, et *ius imaginis* prodendae.

§. IIII.

Minores creati minoribus auspiciis, tributis comitiis, in *subsellis* sedebant.

§. V.

Maiores ordinarii erant *Consules*, quibus cura summae rei publicae erat demandata. Consulatum inibant Kalendis Ianuariis, et *fastos reserare* dicebantur. Aliquot antea mensibus *Consules designabantur*; post, inito honore omnia iura et insignia regum, per annum tenebant, donec ali-

quantum ipsorum potestas imminuta fuit legibus a Poplicola latis, de *prouocatione*, et de *magistratu iniussu populi non gerendo*. Insignia Consulium erant XII. *Lictores* cum *fascibus*, et extra urbem cum *securibus* etiam, *sella curulis*, *toga praetexta*.

§. VI.

Praetores iuri dicundo creati, fuerunt *urbani*, et *peregrini*. Absentibus consulibus urbanus eorum vicarius erat. Crescente imperio XVIII. Praetores numerabantur. Insignia erant Praetoris *sex lictores cum fascibus*, *toga praetexta*, *sella curulis*, sub Caesaribus quoque *gladius*.

§. VII.

Censores ab initio solum census agendi gratia creati, quod consulium antea fuerat munus, post ea ad maiorem excreuerunt auctoritatem. De senatorum, equitum, et vniuersi populi moribus iudicabant, et peccantibus *notam* infligebant, vectigalia *publicanis*, opera publica *redemptoribus*, *mancipibus*, *conductoribus*, *lege censoria*, locabant, *sarta testa* exigebant. Bini semper fuerunt habentes *sellam curulem*, et *togam praetextam*.

§. VIII.

Aediles curules fuerunt curatores urbis, annonae, ludorumque solemnium. Subiecta illis fuerunt, quae politiam, seu externam urbis salutem, securitatem, sanitatem, nitorem promouebant. Curabant iidem, ne quis sacra peregrina in Vrbe face-

face-

faceret, viarum et aedificiorum curam habebant, gaudebant hi et *sella curuli* et *toga praetexta*.

§. VIII.

Minores ordinarii magistratus fuerunt *Quaestores*, vel *urbani* vel *provinciales*, urbanis duobus cura aerarii fuit mandata. *Quaestura* primus erat in capessenda re publica magistratus.

§. X.

Tribuni plebis, vt iis auxilii latio aduersus consules essent, solius plebis magistratus creati, et *sacrosancti* fuerunt. Ab initio duo creati sunt; mox comitiis *tributis* decem auspicato creati, qui numerus per infecuta tempora semper mansit.

§. XI.

Aediles plebis annonae in primis curam habebant, quae erat potissimum in inspectione venalium. Adiuncti praeter ea erant tribunis plebis, eodemque fere tempore instituti.

§. XII.

Praeterea magistratus minores erant *Aediles cereales*, *triumviri capitales*, *triumviri nocturni*, *triumviri monetales*, *curatores viarum* etc.

§. XIII.

Extraordinarii magistratus re ita cogente extra ordinem creati sunt.

§. XIII.

Primus erat *Dictator*, qui in summis rei publicae periculis cum imperio semestri plane regio

ab altero consule e viris consularibus dicebatur: praeter *viginti quatuor lictores*, regum omnibus insignibus utebatur. Non licebat autem illi Italiam cum imperio egredi, aut pecuniae publicae quidquam, iniussu senatus, aut populi, erogare.

§. XV.

Magister equitum ab dictatore, plerumque e viris consularibus, vel praetoriis, *eligeretur*, cui imperium equestris militiae ita dabatur, ut dicto audiens esset dictatori, eiusque quasi vices gereret. Insignia eius erant *sex lictores*, *toga praetexta*, et *sella curulis*.

§. XVI.

Praefectus vrbi, si consules non erant in vrbe, in tempus deligebatur, cum vero Praetor urbanus erat constitutus, praefectus vrbi tantum Latinarum feriarum causa fieri coepit. Sub Caesaribus vero perpetuus fuit praefectus vrbi, atque *Praefectus praetorio*.

§. XVII.

Interrex Romae prodebat, si neque dictator, neque in re publica consules essent; maxime ad comitia magistratuum habenda: interim munia ipsius fere eadem cum consulibus. Hic magistratus penes patricos semper mansit.

§. XVIII.

Decemviri legibus scribundis consulari potestate, creati, A. V. CCCII. sed cum infidias
struere

struere libertati Romanae coepissent, decemuirale imperium mox obrogatum est.

§. XVIII.

Tribuni militum consulari potestate A. V. CCCVIII. cum plebs consulatum flagitabat, creati sunt. Munia et insignia eorum eadem, quae consulum fuerunt.

§. XX.

Huc referendi sunt *triumviri rei publicae constituendae*, *praefecti annonae*, *triumviri coloniae deducendae*, et *triumviri mensarii*.

§. XXI.

Prouincialis magistratus, qui mittebantur ad prouincias regendas, erant:

Proconsules, ordinarie ex viris consularibus; illis prouincia regunda sorte *euenire* dicebatur.

Propraetores, ex viris praetoriis, ad regendas prouincias missi.

Quaestores, proconsulibus et propaetoribus dari soliti. Munus illorum erat reditus populi Romani in prouinciis curare, et pecunias etiam publice expendere, omnium vero rationem ad aera-rium referre.

§. XXII.

Magistratibus ad imperia exsequenda aderant, et apparebant varii ministri, vt *scribae*, quorum fidei tabulae publicae et pericula magistratum commissa erant; *apparitores* vel *statores*, qui consulum, aliorumque, qui ius dicebant, nuncii erant;

praecones, qui, quae promulgari magistratus vellet, id voce praedicabant. *Lictores*, *viatores* et *accensi*, qui consulum erant ministri, aut eorum, qui consulari erant potestate. Praeter ea serui publici et *carnifex*.

SECTIO III.

DE DISCRIMINE ROMANORVM RATIONE NATALIVM.

§. I.

Ratione *Natalium* ciues Romani fuerunt vel *ingenui* vel *libertini* vel *serui*.

§. II.

Ingenui dicebantur, qui ex iusto ciuium Romanorum matrimonio erant procreati.

§. III.

Matrimonium iustum erat tantum inter ciues, qui illud contrahere poterant, aut prohibebantur pro *nationis*, *conditionis*, *gentis* vel *sanguinis* diuersitate.

§. IIII.

I. *Nationis* ratio habebatur, ne quis Romanus duceret peregrinam, et vice versa.

II. *Conditionis*, ne ingenuus libertinam.

III.

III. *Gentis*, ne patricius plebeiam, quamquam post ea id obseruari desiit.

III. *Sanguinis*, ne intra gradus prohibitos contraherentur nuptiae.

§. V.

Matrimonii contrahendi triplex fuit modus. Fiebat enim vel *confarreatione*, vel *coemtione*, vel *usu*.

§. VI.

Confarreatio, quod erat nuptiarum genus religiosissimum, decem testibus, solemnni sacrificio, in quo farre utebantur, verbis solemnibus adhibitis, fiebat.

§. VII.

Coemtio dicebatur, si vxor imaginaria emtione et venditione in mariti manum conueniebat. Sunt, qui confarreationem et *coemtionem* pro vno eodemque ritu habeant. Ex confarreationis et coemtionis ritu oriebatur 1) *Sacrorum communio*, in penetibus colendis etc. itemque 2) *Susceptio liberorum patrimorum et matrimorum*, 3) *Possessio bonorum*. Connubium tale non nisi *diffarreatione* solui poterat.

§. VIII.

Usu matrimonium contrahebatur, si mulier integrum annum apud virum matrimonii causa manserat.

C 5

§. VIII.

§. VIII.

Sponsalia praecedebant nuptias, quae ipsae ritibus variis celebrabantur.

§. X.

Soluebatur matrimonium per *diuortium* ut *sponsalia* per *repudium*. Lege Romuli diuortium viris tantum, non autem mulieribus permissum fuit.

§. XI

Liberi ex iusto matrimonio creati, erant in manu et potestate patris, inde exhibant per *emancipationem*.

§. XII.

Qui liberis destituebantur, poterant adoptare. *Adoptio* alia erat inpuerum, quae proprie dicitur adoptatio, alia puerum, quae *arrogatio* dicebatur. Strictiori sensu *adoptio* erat, qua liberi in sacris paternis constituti, cuiuscumque sexus et aetatis, in aliam familiam transibant. Varias ibi ceremonias obtinebant.

§. XIII.

Libertini erant, qui a seruitute manumissi erant, et eorum filii.

§. XIII.

Manumissionis iustae tria erant genera. Fiebat enim vel *censu*, si dominus serui nomen a censoribus in censum referri iusserat; vel *testamento*, si eo

si eo

si eo dominus seruum libertate donabat; vel *vindicta*, si dominus, coram magistratu, ritu et formula solemni, seruum liberum esse iubebat; cuius caput licitor deinde virgula, quae vindicta appellabatur, percutere solebat. Qui ita adepti erant libertatem, hi et ipsi ius ciuitatis Romanae optimo iure consequuebantur. Et haec est *libertas plena*.

§. XV.

Manumissionis minus iustae erant tres praecipui modi: I. *Per epistolam*, qua seruo libertas concedebatur. II. *Inter amicos*, si dominus quinque testibus seruum esse liberum iubebat. III. *Coniuii adbibitione*. Qui hac manumissione ad libertatem peruenerant, ius Latii tantum adipiscebantur, et haec est *libertas minus plena*.

SECTIO III.

DE DISCRIMINE RATIONE
PATRIMONII.

§. I.

Ratione patrimonii diuidebantur ciues in *Classes* et *Centurias*.

§. II.

Classes erant VI. Centuriae CLXXXVIII.

§. III.

§. III.

I. *Classis* comprehendebat LXXXVIII. centurias XXXX. *Seniorum*, XXXX. *Iuniorum*, XVIII. *Equitum* et II. *Fabrûm*. Hi censebantur *centum millibus aeris*; i. e. ad 1000. Imperiales.

§. IIII.

II. *Classis* erat XX. centuriarum, X. *Seniorum*, X. *Iuniorum*, hi profitebantur se possidere *septuaginta quinque millia aeris*; i. e. circiter 750. Imperiales.

§. V.

III. *Classis* erat XX. centuriarum, X. *Seniorum*, X. *Iuniorum*, hi possidebant *quingenta millia aeris*; i. e. 500 Imperiales.

§. VI.

IIII. *Classis* erat XX. centuriarum, X. *Seniorum* et X. *Iuniorum* et II. *Tibicinum*, qui habebant *vinginti quinque millia aeris*; i. e. 250 Imperiales.

§. VII.

V. *Classis* erat XXX. centuriarum, XV. *Seniorum* et XV. *Iuniorum*, censebantur XII. *millibus et quingentis aeris*, i. e. 110 Imperiales. Livius in his *tibicines*, *cornicines*, et *accensos* in centurias tres scribit distributos.

§. VIII.

VI. *Classis* erat vnus centuriae, in quam *proletarii* et *capite censi* adscribebantur, qui vel nullo
vel

vel exiguo aere censebantur. Quinque priorum classium erant capaces omnium honorum, et militare in legionibus poterant; ex sexta remiges capiebantur. Hac vero diuisione sapientissime instituta potestas maxima semper erat apud ditiores.

C A P V T II.

D E C O M I T I I S.

§. I.

Comitia fuerunt publici conuentus populi Romani ad res publicas peragendas. *Concilium* erat, cum non omnis congregaretur populus, sed per partes tantum conueniret.

§. II.

Fuerunt triplicia, *Curiata*, *Tributa*, *Centuriata*.

§. III.

Curiata a Romulo instituta, qui populum diuiserat in XXX. Curias, prima fuerunt, et donec *Centuriata* instituta erant, ad omnes pertinuerunt res publicas. Posterioribus vero temporibus habita sunt ad *leges de imperio militari ferendas*, ad *sacerdotes quosdam creandos*, *flamines*, *curionem maximum* et *arrogationes* peragendas, *detestationes*, et *testamenta fancienda*. Intererant his tantum incolae Urbis, post ea triginta tantum *lictores* suffragium inibant.

§. IIII.

§. III.

Tributa comitia erant, in quibus populus tributim suffragia inibat, quae olim pauciores, tandem ad numerum XXXV. excreuerunt, et diuidebantur in *Urbanas quatuor* et *rusticas*, quae urbanis honoratiores erant. Post ea *plebei* tantum in iis suffragia ferebant.

§. V.

Tributis comitiis creabantur *magistratus minores*, *tribuni plebis*, *sacerdotes subrogabantur*, *leges ferebantur*, et *iudicia publica* exercebantur: habebantur a Consulibus, Praetoribus, Tribunis et Aedilibus plebis.

§. VI.

Centuriata comitia erant maxima, in quibus populus centuriatim suffragia inibat. Interesse et poterant omnes, qui pleno ciuitatis Romanae iure et aetate militari gaudebant. Censu ratione illa comitia nitebantur, unde ditiorum potestati maxime subiecta fuerunt.

§. VII.

Habebantur *magistratum maiorum* praeter dictatorem, *Curules Aediles*, et *Interreges*, etiam *regis sacrorum*, *creandorum* causa. *Leges* iisdem ferebantur, *bella decernebantur*, et *iudicium perduellionis* fiebat.

§. VIII.

§. VIII.

Praeerat his comitiis *Consul*, quo absente Prae-
tor *Urbanus*, et si nullus magistratus, *Interrex*.

§. VIII.

Comitia haec omnia debebant rite indici per
edictum, quod loco publico proponebatur per
XXVII. dies, quod vocatur *Trinundinum*.

§. X.

In comitiis *centuriatis* *auspicia maiora* adhibe-
bantur, in *tributis* et *curiatis* non item. Quod si
agi sentirent *optimates*, quae e re sua non vide-
rentur, solemni formula: *alio die Quirites*: au-
gur *obnuntiabat*. Hinc *vitio creati* dicebantur.
Locus autem omnino debebat *inangurari*.

§. XI.

Dies, in quem edicta essent, debebat esse *comi-
tialis*.

§. XII.

In comitiis *centuriatis* debebant *patres auctores*
fieri, non in *tributis*.

§. XIII.

Ordo suffrageorum ineundorum, sic constitu-
ebatur, vt, quae prima ferret *centuria*, vel
tribus, sorte eligeretur, reliquae vero *iure vo-
caren-*

carentur; quae prima erat, dicebatur *praerogativa*, curia autem *principium*.

§. XIII.

In comitiis centuriatis suffragia olim voce, post tabellis lata, quibus notae quaedam inscriptae erant. Tabellae diuidebantur per *diribitores*: *rogatores* eas in cistas coniiciebant, *custodes* educebant, describebant et numerabant. Formulae solemnes erant: *Rogo vos, velitis, iubeatis?* In tabellis erat, si leges ferendae, seu V. R. i. e. *uti rogas*, seu A. i. e. *antiquo*; si iudicium habendum: A. i. e. *absoluo*, C. *condemno*, N. L. *non liquet*. Post ea praeco, quid pluribus suffragiis esset iussum, praedicabat cum solemni precatone.

§. XV.

Locus, vbi agebantur comitia, erat in centuriatis *Campus Martius*, in curiatis et tributis et *Comitium* et *forum*, et alia loca spatiosa in vrbe, et extra Urbem.

CAPVT III.

DE IVRE ROMANORVM PVBLICO.

§. I.

Ius *publicum* apud Romanos dicitur hoc sensu, vt sit ius illud, quod pertinet ad statum civitatis; longe itaque alio sensu vsurpatum fuit, ac nostrum ius publicum. *Ius* est, quod est commune

mune

mune omnibus, ciuibus Romanis, et sic vel ius civile erat ius publicum.

§. II.

Ciues Romani alii *pleno ciuitatis iure*, seu optima lege et conditione, alii *minus pleno* ciuitatem habebant. Qui *tribum* et *domicilium Romae* habebat, *optima lege* ciuis esse putabatur.

§. III.

Iuris ciuitatis plenae partes sunt, *ius libertatis*, *census*, *militiae*, *suffragii*, *haereditatis*, *usucapionis* etc.

§. IIII.

Ius ciuitatis minus plenum erat *sine suffragio*, eoque ipso honorum expers. Illo iure utebantur, qui vel solum *domicilium* sine *tribu*, vt *inquilini*, vel *tribum*, excluso *domicilio*, ceu *municipes*, habebant.

§. V.

Quae autem ex ciuitate Romana, tamquam fonte, iura manabant, si coniuncta comprehendebantur, *Ius Quiritium* constituebant, a iure ciuitatis diuersum, quamuis sint, qui contrarium statuunt.

§. VI.

Ciuitatem Romanam consequentur, I. *natiuitate*, II. *donatione*, III. *manumissione iusta*.
D Amit.

Amittebant, qui alius ciuitatis ciues facti essent, quod qui exilio grauiori damnati erant, facere solebant.

§. VII.

Ius Latii primum ciuitate Romana minus fuit, quum Latini utebantur suis legibus, sed lege Iulia et Plotia ciuitate donati sunt Latini.

§. VIII.

Municipia ciuitates fuerunt, quae separatim a Romanis rem publicam habebant, cum quibus vero ius honorum illi communicauerunt. Primum minus pleno, post ea optimo ciuitatis iure usi sunt.

§. VIII.

Praefecturae a prouinciis fere non diuersae erant, nisi, quod Praefectorum edictis, qui eo mittebantur, priuatum omne ius continebatur.

CAPVT IIII.

DE IVRE ROMANORVM CIVILI.

§. I.

Ius *ciuile* sensu latiori etiam leges fundamentales rei publicae Romanae comprehendit. Cicero definit illud, esse *aequitatem constitutam ciuibus ad res suas obtinendas*.

§. II.

§. II.

Lex proprie est, quidquid populus in comitiis rogatur. Sensu iuris autem a Iustiniano dicitur lex, ius, quod populus Romanus, senatorio magistratu rogante constituit.

§. III.

Legem ferebant magistratus, cui ius erat cum populo agendi, vt Consules, Praetores, Tribuni plebis, Dictatores.

§. IIII.

Vt lex valeret, haec obseruabantur. I. Formula legis componi, et ad senatum deferri solebat. Probata Patribus formula *promulgabatur*, h. e. *Lex scribi in tabulis, et proponi per trinundinum debebat*, vt legi posset ab omnibus. II. *Solebant orationes* ad suadendam legem, interdum vero etiam ad dissuadendam, *haberi*, tum variae sententiae legis a viris prudentibus opponebantur, ad quae emendabatur ab auctore. III. In comitiis, vbi conuocatus populus erat rogatus, an *vellet, iuberetque*, omnia, quae de comitiis supra diximus, fieri solebant. Vbi suffragia legem iussissent, *perlata* illa esse dicebatur; sin reiecta lex, *antiqua probata* esse dicebantur.

§. V.

Legis vis erat, vt omnes ciues teneret.

§. VI.

Impediebatur legislatio 1) mutato consilio auctoris, 2) intercessione; 3) si comitatum quis
D 2 auo-

auocaret, 4) si dies comitiales adimerentur feriis indicendis, quod erat in Consulium et Praetorum potestate, 5) per auspicia; siue *de coelo seruando*, siue *obnuntiando*; augures habebant *nuntiationem*, magistratus *spektionem*.

§. VII.

Lex solebat l. *rogari*, l. *abrogari*, l. *derogari*, l. *abrogari*, l. *solui*.

§. VIII.

Praeter leges Iuris ciuilibus partes erant: *Plebis-
citurum*, *Senatusconsultum*, *Edicta*, et *Responſa Pru-
dentium*.

§. VIII.

*Plebis-
citurum*, a plebe, rogante magistratu ple-
beio, constituebatur. Hoc primum plebem, post
ea vero omnes Quirites tenebat.

§. X.

Senatusconsultum est, quod in senatu decretum,
nemine intercedente legitime perscriptum est.

§. XI.

Edicta erant vel *perpetua*, vel *temperaria*. Illa
erant, ex quibus ius per totum annum a Praetore
dicebatur. Haec a magistratibus, re ita exigente,
extra ordinem proponebantur.

§. XII.

§. XII.

Edicta erant porro vel *urbana*, de quibus iam dictum, vel *prouincialia*, quae magistratus de iuris dictionis modo in prouinciis proponebant. Hoc ius dicebatur etiam *Honorarium*.

§. XIII.

Varie autem haec edicta diuidebantur. Si enim quis magistratus plurima capita ex antecessoris sui edicto in suum nouum, ac initio muneris publicatum, transferret, edictum erat *tralatitium*, fin minus, vocabatur *nouum*. Perpetuis ab edictis diuersa erant *repentina*.

§. XIII.

Prudentum responsa, interpretationes legis XII. Tab. et disputationes fori, magnam etiam partem iuris ciuilibis efficiebant.

§. XV.

Libera re publica, cum adhuc leges paucae essent et obscurae, necessaria erat Iureconsultorum auctoritas. Hinc responsa prudentum, quibus momenta iuris dubia declarata, ortum duxerunt.

§. XVI.

Iureconsultis Romae originem dedit institutum a Romulo *Ius patronatus*. Patriciorum enim erat parentum munere fungi erga plebeios, vnde

D 3

et

et *Patroni* dicebantur. Optio erat cuius e plebe, quem vellet, sibi patronum legendi e patriciis. Hunc vero oportebat *clientibus* respondere de iure, lites pro eis suscipere, in ius vocatos defendere. Tales patroni etiam coloniaram, urbium, gentium negotia curabant.

CAPUT V.
DE IUDICIIS.

§. I.

Iudicia sunt causarum disceptationes coram iudice. Erant vel publica, vel priuata.

§. II.

Publica sunt, in quibus de criminibus, quibus rei publicae maiestas erat imminuta, quaerebatur, quae et *quaestiones* dictae. Fuerunt vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*.

§. III.

Olim omnia *extraordinaria* fuere. Facinore enim commisso ad populum ferebatur, qui iudicium decernebat, et *quaestores* extra ordinem constituebat, qui de crimine cognoscerent. Post ea institutae sunt *quaestiones perpetuae*, id est, certa crimina certis Praetoribus diiudicanda, inconsulto populo, data. *Extraordinariae* quaestiones tantum in nouo quodam et atrociori crimine vsitatae, vt *perduellione* etc.

§. IIII.

§. III.

Ordinariis praeerat Praetor, *extraordinariis* Quaestor. Exercebantur autem utraque a *iudicibus sorte electis*. Reiectione iudicum facta fiebat *subsortitio*.

§. V.

Memorandi etiam *Decemviri litibus iudicandis*. Quot annis nempe XXVI viri populi suffragiis creati, e quibus constituebantur Decemviri isti iudicandis litibus. Quinque ex senatoribus, ex equitibus quinque deligebantur, et Praetor illos in iudicando socios habebat.

§. VI.

Centumviri dicebantur terni e singulis tribubus populi suffragio designati, qui in causis grauioribus iudicarent, in quibus, quid iustum esset, non statim appareret.

§. VII.

Differunt ab *iudicibus Arbitri*, atque *Recuperatores*.

§. VIII.

Ordo iudicii publici hic erat.

I. Reus in ius vocabatur ab accusatore. II. Actor postulabat, id est, Praetorem rogabat, an liceret *actionem intendere*. III. Deferebat nomen, postquam calumniam iurasset. IIII. Reus recipiebatur,

batur, id est, in tabulas inter reos referebatur. V. Dies dicebatur, qua adessent accusator et reus. VI. Iudices sortiebantur, quos si reiicerent litigantes, fiebat *subsortitio*. VII. Causa agebatur, testes audiebantur, tabulae proferebantur. VIII. Sententia ferebatur, qua vel reus absoluebatur, vel puniebatur.

§. VIII.

Quae potissimum *capita* ex legis alicuius formula accusari potuerint, describit vberius Ill. *Selchouius in Elementis Antiquit. Iuris Romani*, P. I. L. II. Cap. VII. S. II. p. 177. seqq.

§. X.

Priuata iudicia erant disceptationes controuersiarum de rebus priuatis, quibus preeerat Praetor, sed iudicabant iudices priuati, *arbitri, centumuiros, recuperatores*.

§. XI.

Ordo iudicii priuati erat. I. Vbi res per amicos componi non potuerat, actor *in ius uocabat*, id est, adibat aduersarium, et rogabat, ut se sequeretur ad praetorem, et si nollet sequi, aut fatisdare, facta *antestatione* eum vi et collo obtorto licebat *in ius rapere*, si in via publica res ageretur. II. Aduersus latitantem *euocatio* per edictum fiebat, si ad tertiam euocationem non prodiret, bona eius possideri, proscribi ac distrahi iubebat praetor. III. *in ius vbi ventum erat,*

erat,

erat, *actio* edebatur. III. *Petitio instituebatur*, id est, rogabatur praetor ab actore, ut liceret, actionem intendere, et reus aduocatum poscere solebat. V. *Actionis datio* sequebatur, tunc VI. *vadatio*, qua certa formula actor petebat a reo, *ut vades daret*, quibus caueret se certo die, qui plerumque *perendinus* erat, adfuturum, actor *vadari reum*, reus *vadimonium promittere* dicebatur, quod si deferebatur, causa cadebat, qui non aderat. VII. Si vterque dicto die aderat, *intendebatur actio* formula concepta, qua praetori exhibita. VIII. Sortiebantur *iudices*, quos praetor, aut *recuperatores* aut *centumuiros* aut *arbitros* dabat, aliquando vero ipse cognoscebat. VIII. Iudice dato *satisfactiones* fiebant, quibus cauebatur *iudicatum solui*, et rem ratam haberi; quod X. *litis contestatio* sequebatur, et XI. *denunciatio in diem perendinum*, quae et *comperendinatio* et *condictio* vocabatur. XI. die tertio iudex iurabat, se ex lege iudicaturum, litigantes *calumniam iurabant*, quod et in litem iurare dicebant. XII. Deinde *causa perorabatur*, *testes audiebantur*, *tabulae proferebantur*. XIII. Iudices, si *liquebat*, sententiam ferebant, sin minus, *ampliabant*, vel sibi non liquere iurabant. XIV. Executio sententiae ad praetores redibat.

§. XII.

Exercebantur iudicia publica in *foro*, vel *Campo Martio*. Priuata in foris coram *tribunali*, vel in plano, vel etiam in *basilicis*.

D 5

§. XIII.

§. XIII.

Iura ciuis Romani quoad statum priuatum di-
 versis legibus munita fuerunt; quarum praecipuae
de prouocatione, et illa, *ne quis priuilegia irroga-*
ret, i. e. dictaret poenas gratiae aut odii causa.
 Pertinebat huc etiam *Ius gentilitatis*, *Ius conuubio-*
rum, *Ius patrium*, *Ius tutelarum*, *Ius domini*,
Ius in re haereditarium, et successionis etc.

CAPVT VI.

DE RATIONE VITAE ET VICTVS
POPVLI ROMANI.

Vidimus ritus publicos ciuium Romanorum,
 quaedam nunc de ratione viuendi domestica
 adiicienda sunt, quae non tam legibus, quam in-
 stitutis et consuetudine maiorum colebatur. Ad
 haec autem quatuor capita redigemus.

- I. De re vestiaria.
 - II. De conuiuiorum ratione.
 - III. De re pecuniaria.
 - IV. De ritibus funebribus..
-

SECTIO I.

DE RE VESTIARIA.

§. I.

Vestes olim tantum duae fuere, *Toga*, quae exterior et *Tunica*, quae interior erat.

§. II.

Toga olim virilis et muliebris vestis fuit. Post ea matronis vsitata *stola* et *palla*: Togis vero ancillae et meretrices tantum vsae.

§. III.

Togae genera varia fuerunt. I. *Toga praetexta* magistratum erat, et puerorum ingenuorum puellarumque, *praetexta* dici consuevit, quia in extremitate eius purpura praetexebatur. II. *Pura* siue *virilis* vocabatur, cui nulla purpura praetexta erat, et quam adolescentes annum fere aetatis decimum sextum ingressi, sumebant cum *in forum deducerentur*. III. *Togae candidae*, qua candidati utebantur, creta erat addita, uti splenderet. IIII. *Toga pulla* in luctu utebantur, eademque pauperes induti erant. V. In *toga picta* imagines variae acu pictae erant. VI. *Toga palmata*, cui palmae erant intextae.

§. IIII.

Trabea breuior toga, purpurei et coccinei coloris, auguribus, et equitibus in primis in solenni transuectione, propria fuit.

§. V.

§. V.

Sagum et *Cblamys* vestis militaris erat. Imperatoris *Sagum* appellabatur *Paludamentum*.

§. VI.

Laena vestimentum militare est, quod supra omnia vestimenta sumitur, peregrini generis, a Romanis susceptum. *Lacerna* vero pallium laneum apertum, quo pluviae inprimis tempore utebantur.

§. VII.

Tunica vestis erat interior, angustior, et brevior, olim sine manicis, post ea *manicata*, et cincta. Olim sine tunica Romani, post ea vnam, deinde duas induti incedebant, quarum interior, *interula* vel *subucula*, superior *superaria* dicebatur.

§. VIII.

Tunicae clavis distinguebantur, qui vel *latiores*, vnde *laticlaviae*, vel *angustiores*, vnde *angusticlaviae* tunicae.

§. VIII.

Vestes muliebres erant, *Stola*, *Fasciae*, *Mitrae*, *Reticulum*, *Vittae*, *Flammea*, *Instita*, *Palla* etc.

§. X.

Ad reliqua vestimentorum genera pertinent: *Cucullus*, *colobium*, *gausapa*, *endromis*, *pallium*, *birrus*, *thorax*, *pileus*, *capillamentum*, etc.

§. XI.

§. XI.

Vestium mutatio fiebat vel in luctu vel in laetis rebus.

§. XII.

In luctu Senatores laticlaviis depositis angusticlaviis utebantur. Magistratus sine praetexta, equites sine clauo, reliqui Romani *sagati*, vel *sordidati* incedebant. In laetitia vestes candidas sumebant a *fullonibus* candidiores factas.

§. XIII.

Calceamenta Romanorum duplicis generis fuerunt: *Calcei* et *Soleae*. Calceos cauos varii coloris habebant, *Solea* siue *sandalium* in plantis loris constringebatur, *caliga* militum in primis erat.

SECTIO II.

DE RITV CONVIVANDI.

§. I.

Veteres Romani olim *sedentes*, post ea in lectis *accumbentes* mensis, ordinarie conuiuabantur. Ordinarie tres erant lecti, vnde *triclinii* nomen venit, *strati vestibus*. Ante cibum solebant se *lavare*, *vestes mutare*, *calceos deponere*.

§. II.

§. II.

Olim semel tantum vno quoque die Romani cibum capere solebant, hora nona h. e. fere nostra hora *tertia*; quod *coenare* vocabatur. Post ea, crescente luxu, addita sunt *ientacula*, *prandia* et *commessationes*.

§. III.

Cibi olim simplicissimi, et frugalissima coena, plerumque *pulte*, *oleribus*, vel *carne*, omnibus simul mensae illatis, constabat. Post ea coenae tres fuere partes. I. *Gusius*, *gustatio*, *antecoena*, *antecoenium*. II. Ipsa *coena* variis ferculis et missibus instructa. III. *Bellaria*, vel *mensae secundae*. Inter coenandum apud nonnullos cantabant pueri, et puellae delicatae, vel legebatur aliquid.

§. IIII.

Mensae *consecratio* fiebat *salis appositione*, et *libatione* vini.

§. V.

Vinum in *poculis* ministrabatur. Vasa vero ratione mensurae variis nominibus insignita, quaedam *incertae mensurae* vt *Crateres*, *Scyphi*, *Calices*, *Cymbia*, *Cuculli*, *Paterae*, *Cantbari* etc. quaedam *certae mensurae*, vt *culei*, *amphorae*, *urnae*, *congi*, *sextarii*, *heminae*, *cyatbi* etc.

§. VI.

Temperantiores aquam vino admiscebant, quam vel *frigidam* vel *calidam* bibebant.

§. VII.

§. VII.

Bibendi leges in solemnioribus conuiujs *a re-ge conuiuii*, qui sorte creabatur, ferebantur. Appellabatur etiam *magister conuiuii*, *modimperator*, *thalarchus* etc.

SECTIO III.

DE RE PECUNIARIA.

§. I.

Antiquissimis Urbis Romae temporibus, cum signata pecunia nulla erat, vel permutatione mercium, vel metallorum certo pondere appenso, commercia exercita. Deinde signari nummi ex *aere*, *argento* et *auro*, *pecudum imaginibus*, coeperunt.

§. II.

Ratio computandi pecuniam Romanam fere omnis erat ad pondus eiusque partes exacta, unde plurima vocabula, non tam numum signatum, quam eius pondus et aestimationem continebant.

§. III.

Communis supputatio fiebat per *asses*, *sestertios*, *Denarios*, *minas*, *sestertia*, *talenta*.

§. IIII.

§. III.

As duodecim vnciis constabat, quarum ratio haec est.

<i>As</i>	} valebat	XII. Vncias.
<i>Deunx</i>		XI. Vncias.
<i>Dextans</i>		X. Vncias.
<i>Dodrans</i>		VIII. Vncias.
<i>Bes</i>		VIII. Vncias.
<i>Septunx</i>		VII. Vncias.
<i>Semis</i>		VI. Vncias.
<i>Quincunx</i>		V. Vncias.
<i>Triens</i>		III. Vncias.
<i>Quadrans</i>		III. Vncias.
<i>Sextans</i>		II. Vncias.
<i>Vncia</i>		Vnam Vnciam.

§. V.

Sestertius constabat *duobus assibus* et *dimidio*; *denarius*, qui etiam *drachma* dicitur, *decem assibus*; *Mina* *centum drachmis*; *Sestertium* mille *Sestertiis* numis, *Talentum* *sexaginta minis*. *Quinarius* erat *denarius dimidius*; *Sestertius* quarta *denarii* pars erat, eiusque signum *LLS.* post ea *HS.* i. e. *librae duae cum femise*.

SECTIO III.

DE RITIBVS FVNEBRIBVS.

§. I.

Mortuo clausis oculis, *conclamatio*, ab tota familia edebatur, cadauer ablutum et unctum in lecto ad ianuam, pedibus et facie in viam versis, collocabatur, per *septem fere dies*.

§. II.

Post ea a praecone *funus indici* solebat, et cadauer efferri ad *sepulcrum*, vel *rogum*, pompa funebris ordinata ab *designatoribus*. Praeibant *prae-ficae*, *tibicines*, *insignia* vel gentis vel honorum in ferculis praelata; sequebantur agnati et amici, lugubri veste, ad rogum.

§. III.

Interdum in *foro pro rostris*, a proximo agnatorum, vel alio, laudabatur defunctus, quod dicitur *parentatio*.

§. IIII.

Vbi ad rogum ventum, imponebatur cadauer; e cognatis quidam, auersus *facem ei subiciebat*, consumpta ossa et cineres legebantur, et in urnam condebantur. Exstruebatur *pyra* in

E for-

formam arae, cupressis circum undique positis. Huic imponebatur cadauer, in lecto, oculis rursus referatis.

§. V.

Offilegio peracta populus solemnibus formula Ilicet, dimittebatur. Discessuri vltimum Vale acclamabant mortuo, et vrna sepulcro condebatur.

§. VI.

Aliquando in illustrium virorum funeribus accedebat, *decurfio*, *epulum*, *visceratio* et *ludi funebres*.

PARS III.

DE RE MILITARI.

CAPVT I.

DE MILITIBVS.

§. I.

Milites esse poterant tantum ciues Romani, qui in pedites et equites describebantur. Obligatio erat, vt quilibet ab anno aetatis decimo septimo ad quadragesimum septimum, eques *dena*, pedes *senā dena* aut *vicena* stipendia conficere deberet.

§. II.

§. II.

Delectus militaris, certis definitis ritibus, fiebat a consule, quem nemo detrectare poterat, nisi ob has causas vacationem habebat: I. ob *aetatem*; II. ob *honorem* vel *sacerdotium*; III. propter *immunitatis beneficium*; IIII. ob *emerita stipendia*; V. ob *morbum* vel *vitium*.

§. III.

Post delectum, ubi *in verba iurauerant*, sacramento addicti, in numeros diuidebantur, et exercitus constituebatur, cuius partes, si pedites complectebatur, erant *legio*, *cobortes*, *manipuli*, *centuriae*; equitum diuisio erat in *alas*, *turmas* et *decurias*. Extra legiones, et *socii turmas* ordinabantur.

§. IIII.

Genera peditum fuerunt quatuor. I. *Velites*, vel *leuis armaturae milites*. II. *Hastati*, qui primi hastis pugnarunt. III. *Principes* ita appellati, quod a principio olim pugnant. IIII. *Triarii*, qui etiam *Pilani* vocabantur, in acie, *tertio ordine* subsidio ponebantur, et pilis pugnant.

§. V.

Equites vel *equo publico* merebant, vel *privato*.

§. VI.

Milites debebant *iusta stipendia facere*, pedes *vicena*, Eques *dena*, quibus confectis *Veterani* erant, nec, nisi cogente necessitate *euocarentur*, militare cogebantur.

§. VII.

Militare definebant per *missionem*, quae erat triplex:

- I. *Honesta*, quae completis stipendiis concedebatur, proprie dicta *exauctoratio*.
- II. *Causaria*, quae ob vitium vel morbum dabatur.
- III. *Ignominiosa*, quae ob delicta irrogabatur.

CAPVT II.

DE DVCIBVS MILITVM.

§. I.

Summus militum Dux erat vel *Consul* vel *Praetor*, vel alius Magistratus, qui auspicia et ductum habebat, et *imperator* interdum, re bene gesta, appellabatur, quo tamen nomine modo utebatur usque ad finem triumphi, aut ingressum in Urbem.

§. II.

§. II.

Secundum locum tenebant *Legati*, quos *Con-*
sules vel *senatus* legebant, ad vicariam operam
subeundam. Plerumque *singuli legati* *singulis le-*
gionibus praecerant.

§. III.

Tertius ordo erat *Tribunorum militum*, qui le-
gionibus praecerant, olim duplices, *Rufuli* et *Co-*
mitiati, post ea etiam *laticlauii* et *angusticlauii*.
Sex erant in legione, et bini, alternis vicibus, le-
gionem regebant. Primum fuit dignitas annua,
post *semestre* munus factum.

§. IIII.

Quarto loco erant *centuriones* in vnoquoque
manipulo duo, sexaginta in legione, primus om-
nium erat *Primipilus*. Dicebatur primos pilos du-
cere, et insigni utebatur, *vite*. *Centuriones* sibi
singuli duo optiones adsumebant, qui et *succentu-*
riones dicti, in vnoquoque manipulo duo etiam
erant *signiferi*.

§. V.

Equitum praefecti erant, I. *Turmae praefectus*,
II. *Decuriones tres* in singulis turmis.

§. VI

Socii suos praefectos habebant, qui vero ab
exercitus duce creari debebant, et *praefecti socio-*
rum vocabantur.

CAPUT III.

DE AGMINE, CASTRIS, ET ACIE.

§. I.

Agmen erat exercitus proficiscens. Bello indicto Consules inter se fortiebantur, vter bellum gereret. Iter indicebatur per *tesseram*, et instituebatur ad *classicum*, quod ter canebat, I. ad *vasa colligenda*, II. ad *impedimenta* iumentis vel curribus *imponenda*, III. ad *iter ingrediendum*.

§. II.

Agminis forma non semper erat vna, sed pro locorum conditione variabatur, plerumque *quadrata* erat vel *pilata*.

§. III.

Si in agmine ducendo metus erat hostium, fiebat *euolutio*, et pro natura locis acie directa pugnabatur.

§. IIII.

Itinere instituto praemittebantur *metatores*, qui locum aptum castris ponendis caperent, et describerent. Cum aderat agmen, vnusquisque ad

ad locum sibi attributum muniendum currebat, et breui tempore castra erant perfecta.

§. V.

Castra autem erant, vel, quae vnus tantum, aut paucarum noctium causa exstruebantur, quae *mansiones* vocabantur, vel quae diuturnioris morae gratia fiebant, quae *statiua*, vel *statiuae sedes* dicebantur. Inter haec erant et *hiberna*, quae in locis hostilibus, praesidii causa muniabantur, et saepe in oppidi speciem muniabantur, quae interdum urbibus originem dederunt.

§. VI.

Castris tantum recipiebantur milites; *colones*, *lixae* etc. extra vallum in *procestriis* manebant.

§. VII.

Castrorum forma semper erat eadem, *quadrata*, pro copia militum modo ampliorum, modo contractiorum.

§. VIII.

Portae erant quatuor, in singulis lateribus singulae. I. *Praetoria* siue *extraordinaria*. II. *Principalis dextra*. III. *Principalis sinistra*. IIII. *Decumana*, opposita praetoriae.

E 4

§. IX.

§. VIII.

Castra cingebantur *vallo*, siue *aggere*, qui trium quatuorue pedum altitudine, nisi aliter metus hostium propinquorum suaderet, *sudibus* munitus, distabat *ducentos pedes* a tentoriis.

§. X.

Vallo praeducebatur *fossa* plerumque octo pedes lata, et totidem alta.

§. XI.

Castrorum partes interiores erant.

- I. *Praetorium*, quod loco edito altius reliquis tentoriis erigebatur. Praetorii area ampla erat, et quadrata, quae *ministros*, *comites* et *contubernales* Imperatoris caperet.
- II. *Quaestorium*, ubi quaestor tendebat ad dextram praetoris.
- III. *Legatorum tentoria* ad sinistram.
- IIII. *Tribuni militum* post praetorium, ubi et *praefecti* fociorum, et alii duces tendebant.
- V. *Militum tentoria* hoc ordine, ut Equites in medio tenderent, tunc Triarii, deinde Principes, et Hastati, quorum latera equites et pedites fociorum claudebant.

§. XII.

§. XII.

Principia erat spatium vacuum inter tribunos et milites, centum pedum, vbi ius dicebatur, supplicia fumebantur, signa et aquilae erant.

§. XIII.

Milites omnes erant sub *tentoriis*, quae ex pellibus vel corio facta tendebantur, vel sub tabernaculis,

§. XIII.

Viae in castris structae erant transuersae tres, directae quinque.

§. XV.

Tentorium vnumquodque decem milites, cum decano, capiebat, quod dicebatur *contubernium*.

§. XVI.

Munia, quae praestabant, ad custodiam castrorum, vel *stationes*, vel *excubiae*, vel *vigiliae* dicebantur, quae vocabula saepe promiscue sumpta, nisi, quod *vigiliae* propriae nocturnae sint, *stationes* proprie ante portas, et praetoria, *excubiae* de omnibus dicantur.

§. XVII.

Vigiliarium ratio *Tesseris* constabat, quae hoc modo dabantur. Tribuni militum, sole inclinante, numerum militum imperatori deferebant; Imperator ordinato numero vigilum, tesserae inscribat signum, quod Tribuni *tessariis*, qui ex decimo quoque signo capiebantur, dabant. Qui illud proximi signi duci, ille deinceps sequenti tradebat, donec ad Tribunum rediret, ut iste videret, num quae fraus esset commissa. Hoc peracto ad coenandum dimissus miles, *buccina* ad *vigilias* excitabatur, quae in quatuor partes noctem diuidebant.

§. XVIII.

Praeter vigilias, quas pedites praestabant, erat *circuitio*; quae equitibus commissa olim, post ea proprie dicti *Circuitores* huic muneri destinati.

§. XVIII.

Aciei ordo communis erat, olim ut primi Hastati, tunc Principes, tandem Triarii in manipulos diuisi, pugnam inirent; primi cum pellebantur, per interualla sequentis ordinis se recipiebant.

§. XX.

Leuis armaturae milites, ut antiquissimo tempore *rorarii* et *accensi*, post ea *velites*, non certo loco

loco stabant, sed aliquando ante signa; aliquando mixti manipulis, aliquando in cornibus, semper tamen primi, pugnam ciebant.

§. XXI.

Signa erant ante unumquemque manipulum in agmine; in acie in medio. Aquila erat ante Triarios.

§. XXII.

Iulii Caesaris aetate aliter instituebatur acies: sublata enim manipulorum ordinatione, legionem per *cohortes* instruxit. In prima acie pugnabant primae cuiusque legionis cohortes, in quibus militabant primae dignitatis milites, et voluntarii, qui pilis armati erant. Posterior acies erat hastatorum.

§. XXIII.

Cornua olim socii obtinebant, post ea inter cornua numerabantur, et dextrum cornu erat *prima acies*, media tunc *secunda acies*, sinistrum cornu, *tertia acies*.

§. XXIII.

Non autem semper eodem modo acies instruebantur, aliquando enim duobus tantum cornibus, sublata media acie. Quadrata vel simplex acies erat, cum recta fronte et simplici, tota
acies

acies se in hostem mouebat, et ad rectam lineam omnes simul pugnabant.

§. XXV.

Duplex acies vel *triplex* dicebatur, quando vel in duo cornua, vel in tres acies diuiso exercitu, pugna modo a dextro, modo a sinistro cornu, modo a media acie incipiebat, quo casu vel *obliqua* erat, vel *sinuata*, vel *gibbera* acies.

§. XXVI.

Praeter has formas aciei, aliquando pars exercitus, pro conditione locorum vel hostium, mutabat ordines, et in *cuneum*, vel *forpicem*, vel *globum*, vel *turrim*, vel *laterculum*, vel *ferram* coibat.

§. XXVII.

Instructa acie *alloqui* solebat milites imperator, deinde *classico* signum pugnae dabatur, ad quod milites *clamore sublato arma quatiebant*, et pugnae se accingebant.

§. XXVIII.

In oppugnandis urbibus solemnis erat deuotio, et mos euocandi Deos tutelares ex vrbe, quae expugnari posse credebatur.

CAPVT

CAPUT IIII.
DE ARMIS MILITARIBVS.

§. I.

Arma militum sunt triplicia, vel ad corpus a vulneribus tegendum, vel ad vulnera hostibus infligenda, quae *tela* proprie appellata, vel ad oppugnationes, et defensiones urbium comparata.

§. II.

Inter arma, quibus corpus tegebatur, prima erat *galea*, quae vel ex pelle, vel ex aere, caput tegebat, et plerumque *crista* erat insignis.

§. III.

Sutum vel *Scutum* et *Clupeus*, quae forma modo diuersa erant, vel ex *ligno*, vel ex *corio*, vel alia denique materia fiebant.

§. IIII.

Lorica, quod pectus tantum tegebat, ex *catenulis*; vel ligno, vel linteo. Hami vocabantur etiam *Squamae*, et ipsa lorica thorax.

§. V.

§. V.

Parma ex corio, vel *ligno* corio inducto.
Vmbo in clypeo et *parma* plerumque ex metallo.

§. VI.

Ocreis et *Caligis* equites ad crus tegendum utebantur.

§. VII.

Ad arma, quibus ad laedendum utebantur, referenda *Gladius*, *Hasta*, *Lancea*, *Pilum*, *Contus*, qui hasta longior, *Tela* et *Sagittae*, *Arcus*, *Iacula*, *Fundae*.

§. VIII.

Arma, quibus oppugnabantur, vel etiam obsessae defendebantur vrbes, dicuntur omnino *Machinae*.

§. VIII.

Quae ad oppugnationem adhibebantur, praecipuae dicebantur: *Testudines*, quae scutis, supra capita densatis, vel tabulatis, contextis efficiebantur. II. *Corona*. III. *Scalae*, per quas muros conscenderent. IIII. *Crates*, quae texto vimineo ad explendos aggeres constabant. V. *Musculus*, et *Vineae* e lignis leuioribus, munitione duplici tabulatis, cratibusque contexebantur, quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum

rorum

rorum penetrarent fundamenta. VI. *Plutei*, qui ad similitudinem absidis contexebantur e vimine; et ciliciis vel corio protegebantur, ternis rotulis cuicunque parti murorum admovebantur.

§. X.

Circumvallationes huc quoque pertinent, quae *aggere*, *brachiis*, *lorica*, *turribus*, instructae.

§. XI.

Tormenta sunt *Arietes*, *Catapultae*, *Balistae*. Denique *Cuniculis* in vrbe oppugnanda vfi sunt.

§. XII.


Ad defensionem vtebantur *saxis*, *oleo*, *pice*, *sulphure*, *bitumine*, *plumbo*, et similibus, quae in adscendentes deuoluebant.

§. XIII.

Contra aggeres, turres etc. contraria opera erecta, *cuniculi* ducti, ignes et faces in opera iactae, *trabes* intortae.

§. XIII.

Tormentis *coria*, *cilicia*, *vela*, opponebant.



CAPVT

CAPVT V.

DE PRAEMIIS ET POENIS
MILITARIBVS.

§. I.

Antiquissimo tempore nulla stipendia publica data; sed circa Annum CCCXXXVII, vt de publico miles acciperet, vltro a Patribus plebi oblatum. Ex illo inde tempore diurnum stipendium quinque circiter assium fuit. Ab tempore Iulii Caesaris auctum subinde. Duplum semper centurionibus, triplum equitibus datum.

§. II.

Praemia sunt vel *ducum* vel *militum*. Imperator re bene gesta bello finito consequebatur vel *Triumphum*, vel *Ouationem*, vel *Lauream*, vel supplicationem seu *gratulationem*, a fenatu decretam.

§. III.

Reliquorum ducum vel communia erant cum militibus praemia, nisi quod *duplicata*, vel *triplicata* etc. consequabantur; vel erant *promotiones*.

§. IIII.

§. III.

Praemia militum erant vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Illa erant *stipendia*, et *commoda emeritae militiae*, Praeter aes militibus dabatur *frumentum*, *vestes*, *aes* similia. Etiam stipendium militibus propter virtutem auctum inuenimus.

§. V.

Commoda emeritae militiae erant plerumque *agri*, qui veteranis assignabantur.

§. VI.

Extraordinaria praemia erant: I. *Praeda*, quae militibus interdum diuidebatur; II. *Coronae*, vt *ciuicae*, *obsidionales*, *murales*, *castrenses*, *nauales*, *aureae* etc. III. *Hastae purae*, *phalerae*, *vexilla*, *armillae*.

§. VII.

Poenae pro delictorum ratione erant, *minores* vel *maiores*. *Minores* erant *flagellatio*, quae vite fiebat, *Hordeum* pro tritico datum. *Stipendii imminutio*, vel *priuatio*. *Extra vallum tendere*. *Discinctio*. *Mutatio ordinis in militia*. *Misio ignominiosa*, de qua supra.

F

§. VIII.

§. VIII.

Grauiores poenae erant *capitis multatio*, cum fustuario enecti, vel *lapidibus obruti*, vel *gladio percussi peribant*. *Decimatio* vel *vicefimatio* etc.

CAPVT VI.

DE MILITIA ROMANA NAVALI.

§. I.

Milites in nauali militia fere iidem erant, qui in terrestri. *Classiarii* dicebantur *propugnatores* et *epibatae*. *Nautae* vero omnes, quibus nauium cura mandata erat. *Naupeii* reficiendarum nauium curam habebant.

§. II.

Arma nauium militarium et instrumenta erant: *rostra*, *catastromata*, *turres*, de tabulis erectae, *transtra*, *antenna*, *gubernacula* seu remi longiores, *tormentum*, qui erat funis nauticus, a prora ad puppim extensum, quo nauis magis constringeretur, cuius vsus in tempestatibus maxime erat.

§. III.

§. III.

Arma classiariorum eadem fere erant, quae militum, terrestrem militiam sequentium. *Scutis* maxime, *ocreis* et *manicis* utebantur; praeter ea *telis*, *fustibalis*, *bipennibus* etc.

§. IIII.

Aciem, idoneo loco, cunctis oneribus leuatis nauibus, velis contractis, instruebant. Forma aciei non semper eadem, verum plerumque fuit *lunata*. Signum pugnae erat *clypei* aut *vexilli*, e naui praetoria *sublatio*, et *classici cantus*. Initium pugnae ipse dux cum praetoria faciebat.

§. V.

Sed vt terra Romanorum potestati parebat; sic mare infestum esse eis, videbatur. Tot enim, tantaque classes Romanae naufragia fecerunt, vt senatus consulto decretum fuerit, *maris pericula non ultra experiri*, sed *sexaginta modo naues seruare*, quibus *necessaria in prouincias perferri possent*.

CAPVT VII.

DE STUDIIS LITERARVM
APVD ROMANOS.

§. I.

Praeter instituta, leges et ritus Romanorum studia, quae literis dederunt, eo magis memorari debent, quo maiorem famae magnitudinem illis conciliarunt.

§. II.

Ante Punica bella rudes modo militares Romani fuerunt. Finito primo bello punico ex Graecia literae commigrare Romam ceperunt.

§. III.

Sicut apud omnes alias gentes, etiam apud Romanos *poesis* prius culta fuit, quam reliquae disciplinae. Substitit autem haec ars aliquantum, nec honorem iustum naeta est.

§. IIII.

Ipsa rei publicae, praecipue Romanae, *natura* ingenia ad eloquentiam ducebat; in quo genere literarum adeo excelluerunt, vt cum Graecis de palma

palma certarent; et *Cicero* magister artis summus
existeret.

§. V.

Haud dubie *Fabius Pictor* primus in historia
fuit. A. Temporibus tamen *Sullanis inde*, demum
ad culmen illud doctrinarum genus euasit.

§. VI.

Tempore Ciceronis, eo ipso auctore: *Italia*
plena erat Graecarum artium et disciplinarum, stu-
diaque haec in Latio uehementius colebantur.

§. VII.

Ab illo inde tempore nullum fere literarum
et artium genus incultum reliquerunt Romani.
Imperatoribus regentibus *poetica* summa ingenia
eluxerunt, fauente aula.

§. VIII.

Bibliothecae fero institutae publici iuris; priua-
tae multae. *Aemilius Paullus*, victo *Perse*, in-
gentem copiam librorum ex Macedonia Romam
attulit; ex Ponto et Asia *Lucullus*. *Asinius Pollio*
primus dicitur publicam Bibliothecam instituisse.
Augustus duas dicauit, *Octauiam*, et *Palatinam*,
iuxta aedes suas et *Apollinis* templum, in monte
Palatino.

§. VIII.

Adiuuabant studia literarum, et sensum venusti atque pulchri acuebant *recitationes* solemnes eorum, quae ab ingenio elaborata erant. Tempore posteriori imprimis illae recitationes obtinebant.


§. X.

Scholae publicae serius institutae sunt; non deerat vero disciplina priuata. Qui literarum cognitionem amplificare cupiebant, Athenas adire solebant, donec inde omnis fere eruditionis, et pulchritudinis ratio et sensus se tradidit Romanis.

F I N I S.



7



Antiq. Rom. 873.

